

Persis hostibus contra Graeciam consensit: postea Graeci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronales deponere: uti non uno triumpho ducerentur, sed aeterno servitutis exemplo, gravi contumelia pressae, poenas pendere viderentur pro civitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, aedificiis publicis designaverunt earum imagines oneri ferendo collocatas; ut etiam posteris nota poena peccati Caryatium memoriae traderetur. 6. Non minus Lacones, Pausania Agesipolidos filio duce, Plataeeo praelio pauca manu infinitum numerum exercitus Persarum cum superavissent, acto cum gloria triumpho, [spoliorum et praedae] porticum Persicam ex manubiis laudis et virtutis civium indicem [victoriae] posteris pro tropaeo constituerunt, ibique captivorum simulacra barbarico vestitu ornatu, superbia meritis contumeliis punita, sustententia tectum collocaverunt; uti et hostes horrescerent timore eorum fortitudinis affecti, et cives id exemplum virtutis aspicientes, gloria erecti, ad defendendam libertatem essent parati. Itaque ex eo multi statuas Persicas, sustententes epistylia et ornamenta eorum, collocaverunt: et ita ex eo argumento varietates egregias auxerunt operibus. Item sunt aliae eiusdem generis historiae, quarum notitiam architectos tenere oportet. 7. Philosophia vero perficit architectum animo magno, et uti non sit arrogans, sed potius facilis, aequus et fidelis, sine avaritia, quod est maximum; nullum enim opus vere sine fide et castitate fieri potest: ne sit cupidus, neque in muneribus accipiendis habeat animum occupatum, sed cum gravitate suam tueatur dignitatem, bonam famam habendo. Haec enim philosophia praescribit. Praeterea de rerum natura, quae graece *φυσιολογία* dicitur, philosophia